

in proximum. Sed scandalum est peccatum in proximum. Ergo est in speciali genere peccati.

Præterea. Malum dicitur aliquid quia nocet, secundum Augustinum, de moribus Manich. cap. III. Sed scandalum habet specialem rationem nocentem. Ergo est speciale peccatum.

QUÆSTIUNCULA III.

Uterius. Videtur quod scandalum semper sit mortale peccatum. Matth. XVIII. super illud, *Va mundo à scandalis*, dicit Gloss: „Imminer æterna damnatio inmundans propter scandalum.“ Sed æterna damnatio non debetur nisi propter peccatum mortale. Ergo scandalum semper est peccatum mortale.

2. Præterea. Vita spiritualis est dignior quam corporalis. Sed qui subtrahit alicui vitam corporalem, mortaliter peccat. Ergo & qui scandalizat, cum subtrahat spiritualem vitam, inducens alterum in ruinam.

Sed contra. Scandalum est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Sed etiam peccatum veniale est huiusmodi quandoque. Ergo scandalum quandoque est peccatum veniale.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod duplex est scandalum, scilicet activum, & passivum, ut ex dictis patet. Passivum quidem scandalum semper peccatum est, quia ille scandalum patitur qui aut à via Dei ejicitur, aut saltem in via retardatur; quod non potest esse sine mortali, vel veniali peccato. Activum etiam scandalum semper est peccatum, quia scandalum activum semper est aliquid quantum est de se quod natum est inducere alterum ad peccandum; & tale semper aliquam inordinationem habet vel ex genere actus, vel saltem ex circumstantiis personæ, loci, & temporis, & ideo semper est peccatum. Sed quandoque scandalum activum potest esse sine peccato alicujus scandalum patientis, quando scilicet aliquis, quantum est de se, dat occasionem ruinæ, sed alius non ruit; quandoque etiam è converso est scandalum passivum sine peccato alicujus facientis scandalum, ut quando aliquis sibi sumit occasionem ruinæ ex eo quod ab altero non inordinate fit.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est necessitas. Una absoluta; sive aliquid sit necessarium per se ipsum, sicut necessarium est Deum esse; sive ex coactione alicujus causæ exterioris, sicut violentum dicitur necessarium: & sic non est necessarium scandala evenire necessitate conditionata ex tribus. Primo ex ipsa præsentia, & prædestinatione divina, sicut dicimus: Necessitas est hoc esse, si Deus prævidit: & talis necessitas non repugnat libertatis arbitrio: unde super hunc locum dicit Chrysostomus, homil. LX. in Matth. *Cum dicitur, Necessitas, non spontaneum potestatis destruit, neque libertatem electionis. Non igitur prædictio ejus scandala inducit, neque quia prædixit, hoc fit; sed quia futurum erat, propter hoc prædixit.* Secundo ex inclinatione fœditatis, sicut etiam dicimus quod necesse est peccare venialiter, quamvis sit possibile singula venialia peccata vitare. Tertio ex utilitate consequente, quam Deus ex scandalis elicit,

(1) Al. scandalizat.

sicut omnia utilia dicuntur necessaria.

Ad secundum dicendum, quod secundum illam Glossam videtur quod Petrus non peccaverit, volens passionem Christi impediri: quia passio Christi poterat & placere laudabiliter, & displicere secundum diversa: & tunc scandalum sumitur large pro quolibet impedimento alicui præstito in via aliqua quam prosequi intendit.

Ad tertium dicendum, quod, per se loquendo, scandalum activum est majus peccatum quam passivum; quia in unoquoque genere causa est potior effectu; tamen aliquando potest esse majus passivum quam activum; quando aliquis majoris ruinæ occasionem sumit quam sibi detur; sicut etiam quandoque est passivum peccatum sine peccato agentis. Quod autem Hieronymus dicit, intelligendum est quantum ad genus peccati, & non quantum ad quantitatem reatus: & tamen alia propositio falsa est scilicet quod scandalum passivum non sit peccatum: quia ipsa impactio spiritualis quoddam peccatum est, in quantum est quedam retardatio à via Dei: & quamvis dicatur passivum scandalum, non tamen est omnino passio, sed quedam actio. Quia enim non potest sufficiens peccandi causa ab exteriori præberi alicui, quasi cogens ipsum ad peccandum, ille qui (1) scandalizatur, cooperatur agenti, & ideo peccat.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod actus aliquis determinatur ad speciem moris dupliciter. Uno modo ex parte objecti, sicut fornicatio ex hoc quod est circa delectabilia tactus; & hæc determinatio est materialis, & respicit habitum elicentem actum. Alio modo ex parte finis; & hæc est formalis specificatio, & respicit habitum imperantem. Contingit autem quandoque quod ad eandem speciem determinatur actus ex utraque parte, sicut quando aliquis actus ab eodem habitu elicitur, & imperatur, ut cum quis fornicatur propter delectationem. Quandoque autem ex utraque parte determinatur, sed ad diversas species, ut quando actus ab uno habitu elicitur, & ab alio imperatur, sicut cum quis fornicatur propter lucrum: determinatur enim ad speciem luxuriæ ex objecto, sed ad speciem avaritiæ ex fine; non tamen sunt ibi duo peccata, sed unum peccatum duplex, cum sit unus actus. Quandoque etiam evenit quod aliquis actus non determinatur ad aliquam certam speciem ex parte objecti, sed ex parte finis, eo quod habet determinatum habitum à quo imperatur, sed non à quo elicitur, sicut edificare proximum; quem actum charitas non elicit, quia ejus non est elicere nisi interiores actus, per quos non fit edificatio, sed imperat eum, & ab aliis virtutibus elicitur materialiter, non determinate ab aliqua, sed ab omnibus quia charitas omnibus imperare potest. Et quia scandalum activum est peccatum oppositum ædificationi proximorum, ideo materialiter loquendo ex parte materiæ, & habituum elicentium non est speciale peccatum, sed solum loquendo formaliter ex parte finis, & habitus imperantis, qui est habitus charitati oppositus, scilicet vitium odii: & ideo quando aliquis dictum, vel factum minus rectum facit intendens occasionem ruinæ proximo præstare, speciale peccatum scandalizando committit. Si autem præter intentionem suam accidat, non erit scandalum activum speciale peccatum; tamen erit circumstantia quedam peccati, eo quod sicut quilibet actus virtutis habet ordinem ad finem

nem charitatis, etiamsi actus non ordinetur in finem illum, & sicut habet aptitudinem ut imperetur à charitate; ita quodlibet peccatum, quantum est de se, habet ordinem ad contrarium finem, etiamsi ille finis non intendatur ab agente.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum scandalum activum invenitur quandoque separatum ab omni alia specie peccati, quod consistit in actu exteriori, ut quando actus exterior de se non esset peccatum, nisi in quantum per quamdam similitudinem peccati quam habet, natum est dare occasionem ruinæ in manifesto factum, sicut comedere idolothyrum, & ideo etiam in diffinitione scandalum non dicitur: *Dicitur, vel factum perversum, sed minus rectum*: & sic patet quod objectio procedit ex falsis.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit ex parte elicentium habituum, & non ex parte habituum imperantis.

Ad tertium dicendum, quod hæc circumstantia coram alio non addit peccato ex sui ratione novam speciem, sed ex fine ad quem per talem circumstantiam ordinabilis est: unde etiam peccare in occulto non trahit peccatum ad aliam speciem, quia per hoc non recipit ordinem in alium finem.

Ad quartum dicendum, quod ille qui scandalizatur, & agit, & patitur: actio autem sua non pertinet ad genus scandalum, sed ad aliud quodcumque; sola autem passio sua pertinet ad genus scandalum. Et quia nullus peccat secundum quod patitur, sed solum secundum quod agit; ideo scandalum passivum non ponitur speciale peccatum sicut scandalum activum, quod ex ipsa actione ad genus scandalum pertinet.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum quod, duplex est scandalum, ut dictum est, scilicet activum, & passivum; & utrumque est quandoque veniale, quandoque mortale peccatum. Passivum quidem mortale peccatum est, quando aliquis ex peccato alterius in peccatum mortale ruit, sive factum agentis sit bonum, sive indifferens, sive malum mortalis, aut venialis peccati; sed veniale peccatum est quando aliquis ex facto alterius quomodocumque non ruit, sed disponitur ad ruinam, sicut qui impingit, disponitur ad casum, etiam si non cadat: unde Glossa (interlinealis) Rom. XIV. scandalum contristationis nominat. Sed activum scandalum potest accipi dupliciter. Uno modo formaliter, quando scilicet est speciale peccatum; ex hoc quod intendit alium scandalizare; & sic si intendat proximum inducere in peccatum mortale, mortaliter peccat; si autem intendat inducere ad aliquod veniale, peccat venialiter, quantum pertinet ad rationem scandalum: quia si intenderet ducere in peccatum veniale per actum mortalis peccati, peccaret mortaliter; sed hoc accideret scandalo. Alio modo materialiter, quando est circumstantia peccati, quia non intenditur proximi nocentum; & tunc idem iudicium est de scandalo, & de actu quo aliquis scandalizat, qui quandoque est veniale, quandoque mortale peccatum; nisi forte esset veniale, aut indifferens habens similitudinem mortalis peccati: tunc enim scandalum activum esset peccatum mortale, cum ex aliquibus circumstantiis concurrentibus (2) existimari probabiliter posset quod infirmi aspicientes peccarent mortaliter.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus loquitur

(2) Al. additur ex quibus.

de scandalo activo, quod est peccatum mortale.

Ad secundum dicendum, quod ille qui scandalizat, non aufert semper vitam spiritualem: quia quandoque factum ejus non est natum inducere in peccatum mortale, etsi aliquis etiam ex hoc per culpam suam in peccatum mortale ruat. Et præterea qui aufert vitam corporalem, dat sufficientem causam naturalis mortis; sed qui scandalizat, non dat sufficientem causam mortis spiritualis, ut dictum est.

ARTICULUS III.

Utrum scandalum passivum sit tantum pusillorum.

Ubi supra art. 5.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod scandalum passivum non sit tantum pusillorum. Christus enim pusillus non fuit, sed perfectissimus. Sed Christus passus fuit scandalum à Petro, cui dixit: *Scandalum mihi es*: Matth. XVI. 23. Ergo &c.

2. Præterea. Nullus potest amare, nisi aliquis ametur. Ergo nullus potest scandalizare, nisi aliquis scandalizetur. Sed ille qui coram perfectis viris peccat, scandalizat non alios quam videntes. Ergo perfecti scandalizantur; & sic non solum pusilli.

3. Præterea. Etiam perfecti interdum venialiter peccant. Sed quandoque veniale peccatum est scandalum. Ergo etiam perfecti scandalizantur.

Sed contra est quod Dominus Matth. XVIII. ubi loquitur de scandalo, non facit mentionem nisi de scandalo pusillorum. Ergo ipsi soli scandalizantur.

Præterea. Apostolus dicit de scandalizatis, quod conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur, I. Corinth. VIII. Sed perfecti non habent conscientiam infirmam. Ergo &c.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod etiam perfectis competit scandalum activum. Christus enim perfectissimus fuit. Sed ipse scandalizavit: quia positus est in ruinam multorum, ut dicitur Luca 11. & Pharisæi audito verbo ejus scandalizati sunt, ut dicitur Matth. XX. Ergo scandalum activum competit perfectis.

2. Præterea. Petrus postquam fuit Spiritu Sancto confirmatus, perfectus fuit. Sed ipse scandalizavit: quia facto suo cogebat gentes judaizare. Ergo &c.

Sed contra. Non enim ejusdem est provocare exemplis ad bonum, & scandalizare. Sed primum est perfectorum, ut patet Matth. V. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Ergo non est eorum scandalizare.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod soli perfecti possunt scandalizare. Quia contraria contrariis respondere debent. Sed scandalum passivum dividitur contra activum. Cum ergo solis pusillis conveniat scandalum passivum, solis perfectis convenire poterit activum.

Præterea. Ille solum scandalizat qui exemplo suo provocat ad peccandum. Sed hoc est illorum tantum quorum vita in exemplum aliorum est posita, scilicet prælatorum, & religiosorum. Ergo ipsorum tantum est scandalum activum.

Sed

(1) Al. conve-

Sed contra. Petrus ante passionem nondum erat in statu perfectionis: quia nondum erat cœli, id est Apostoli, verbo Dei, & spiritu oris eius confirmati. Sed ipse, quantum in se fuit, scandalizavit: unde ei dicitur: *Scandalum mihi es*: Matth. xvi. 23. Ergo scandalum activum non est perfectorum tantum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod scandalum passivum patitur aliquis dupliciter. Uno modo ex propria electione, sicut cum quis videns aliquem peccantem eligit sequi eum ad peccandum; & sic non est perfectorum scandalum passivum: quia ipsi sequuntur principaliter Christi exemplum, & præcepta Dei, & rationis bonum: unde nullius exemplum contra prædicta sequuntur. Alio modo præter electionem, sicut cum ex facto alterius alicui suboritur aliquis concupiscentiæ motus, vel etiam tristitiæ, aut iræ, aut alicujus hujusmodi; & sic scandalum passivum potest esse quorumlibet perfectorum secundum statum viæ. Sed quia principale moris electio est, ut Philosophus dicit, III. Ethic. cap. iv. vel v. communiter dicitur, quod scandalum passivum non est perfectorum.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dixit Petro, loc. cit. *Scandalum mihi es*: non quia ex facto eius scandalizatus sit; sed quia Petrus, quantum in se fuit, aliquo modo ei scandalum dedit.

Ad secundum dicendum, quod grammaticè loquendo, omnis activa convertitur in passivam: quia grammaticus non considerat substantiam actionis, sed modum significandi. Omne autem verbum activum significat actionem ut in alium transeuntem. Sed considerando substantiam actionis aliquando actio egreditur ab agente, & non pergit usque ad patiens quod habet in sua potestate recipere effectum agentis, & non recipere, vel propter aliquod impedimentum interveniens: & ideo realiter loquendo, in omnibus actionibus quæ terminantur ad aliquid extra agentem, activa non convertitur in passivam, sicut est percutere, occidere, scandalizare, & alia hujusmodi. Sed amare, & cognoscere sunt actus interiores animæ, quæ non progrediuntur ad rem extra, nisi secundum quod est aliquo modo in ipso agente: & ideo in talibus, etiam realiter loquendo, semper activa in passivam convertitur.

Ad tertium dicendum, quod quamvis vir perfectus quandoque ex electione etiam aliquod veniale peccatum committat, sive ex proposito; non tamen eligit sequi aliquem in peccato etiam veniali, quia ista est valde levis causa peccandi; sed quandoque alia causa motus peccatum veniale eligit.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod scandalum activum quandoque est veniale, quandoque mortale peccatum, ut ex dictis patet. Secundum ergo quod est mortale peccatum, nullo modo perfectis comperit, sicut nec peccare mortaliter; sed secundum quod est veniale peccatum, convenit etiam quandoque perfectis, sicut & peccatum veniale, in quantum in eis aliquid infirmitatis remanet.

Ad primum ergo dicendum, quod quia aliqui ex factis, aut dictis Christi sumpserunt occasionem ruinæ, dicitur esse in ruinam, & scandalum; non quia

(1) Al. conveniens.

ipse dederit aliquam vel modicam occasionem ruinæ: unde non legitur quod Christus aliquos scandalizaverit; sed quod aliqui ex factis, vel verbis ejus scandalizati sunt.

Ad secundum dicendum, quod Petrus secundum Augustinum, epist. xix. in rei veritate reprehensibilis fuit in facto illo, non quia perverse operatus sit, sed indiscrete: & ideo secundum hoc non est (1) inconveniens dicere quod venialiter peccaverit scandalizando. Sed quomodo Hieronymus excuset Petrum etiam à peccato veniali, supra dist. i. q. i. a. i. quæstion. 3. in corp. dictum est.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod etiam imperfecti possunt dare suo dicto, vel facto alii occasionem ruinæ vel indirecte provocando exemplo, vel directe provocando ad malum persuadendo verbis, aut commovendo factis: & ideo non est dubium quod quilibet imperfectus potest scandalizare.

Ad primum ergo dicendum, quod in viris perfectis est aliqua dispositio prohibens scandalum passivum ab ipsis; sed in viris imperfectis nihil est quod prohibeat scandalum activum: & ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod scandalum activum non consistit in hoc tantum quod aliquis exemplo suo provocet alium ad peccandum, sed in hoc quod dat occasionem ruinæ alteri quocumque modo. Constat autem quod quilibet imperfectus potest dare alteri occasionem ruinæ vel persuadendo verbis, vel provocando ad impatientiam per injustas persecuciones: & ideo non est dubium quod imperfectus potest scandalizare; & tamen etiam falsum est quod dicitur, quod imperfectus non scandalizat per modum exempli: quia Deus unicuique mandavit de proximo suo, ut patet Eccli. xvii. & ideo quilibet tenetur ad hoc quod ædificet proximum exemplo suo. Experimento etiam scitur, quod exemplo eorum qui non sunt in statu perfectionis, multi ad peccandum provocantur: quia non solum exempla majorum, sed etiam æqualium, & minorum nata sunt movere.

ARTICULUS IV.

Utrum veritas sit propter scandalum dimittenda.

2. 2. q. XLIII. art. 5. & 8.

1. **A**d quartum sic proceditur. Videtur quod veritas sit propter scandalum dimittenda. In parabola de zizania dicit Glossa Augustini, Matth. xlii. *Cum multitudo est in causa, vel Princeps, detrahendum est severitati.* Sed non nisi propter scandalum. Ergo veritas justitiæ propter scandalum dimittenda est.

2. Præterea. Vitatio cujuslibet peccati pertinet ad veritatem vitæ. Sed homo ad vitandum scandalum proximi debet peccatum veniale committere: quia plus debet cavere damnum æternum proximi, quod patitur per peccatum mortale quo scandalizatus fuit, quam damnum temporale suum, quod patitur per peccatum veniale. Ergo veritas vitæ dimittenda est propter scandalum.

3. Præterea. Aliquando subtrahitur prædicatio propter scandalum generale. Sed prædicatio pertinet ad veritatem doctrinæ. Ergo & veritas doctrinæ.

2. 2. q. XLIII. art. 5. & 8.

trina dimittenda est propter scandalum.

Sed contra est quod Gregorius dicit, hom. vii. super Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, nullius permittitur nasci scandalum quam veritas relinquatur.* Ergo veritas non est propter scandalum dimittenda.

Præterea. Homo non debet peccare, ut alterius peccatum vitet. Sed ille qui dimittit veritatem, peccat. Ergo non debet propter scandalum alterius aliquis veritatem dimittere.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod consilia sint propter scandalum dimittenda. Quia regula est Hieronymi, epist. xi. ad Ageruchiam, quod *omne quod potest fieri, vel non fieri salva triplici veritate, dimittendum est propter scandalum.* Sed consilia sunt hujusmodi. Ergo sunt dimittenda propter scandalum.

2. Præterea. Votum religionis quoddam consilium est. Sed homo debet dimittere religionis ingressum propter scandalum parentum, ne honor eis debitus subtrahatur: quia præceptum est, *Honora parentes*, Exod. xx. Ergo consilia sunt propter scandalum dimittenda.

3. Præterea. Opera misericordiæ quandoque dimittenda sunt propter scandalum, ne credantur fieri intentione vanæ laudis. Sed opera misericordiæ sunt in consilio, vel in præcepto: nec sunt dimittenda secundum quod sunt in præcepto, quia jam pertinent ad veritatem vitæ. Ergo sunt dimittenda propter scandalum, in quantum sunt in consilio.

4. Sed contra. Scandalum est dictum, vel factum minus rectum. Sed consilium non est de rebus minus rectis, sed de majoribus bonis. Ergo non est dimittenda propter scandalum observatio consiliorum.

5. Præterea. Hieronymus dicit ad Eliodorum, epist. i. *Licet parvulus in collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus ubera sua ostendat mater, licet in limine pater jaceat, (1) per calcato perge patre, sicis oculis ad vexillum crucis evolva. Solum genus pietatis est in hac re esse crudeliter.* Loquitur autem de assumptione religionis. Ergo consilia non sunt dimittenda nec etiam propter scandala propinquorum, & ita multo minus propter scandala aliorum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod res temporales sint dimittendæ propter scandalum. Apostolo enim debentur temporalia, qui spiritualia seminabat. Sed Apostolus non usus est hac potestate, ne offendiculum daret Evangelio Christi, ut patet I. Corinth. ix. Ergo & nos pro scandalo vitando temporalia debemus abicere.

2. Præterea. Aliquis tenetur dare rem suam existenti ultima in necessitate ad mortem temporalem evitandam. Sed magis debemus obviare morti spirituali proximi quam corporali. Ergo potius debemus rem temporalem dimittere, quam dimittamus eum in mortem spiritualem cadere per scandalum.

3. Præterea. Inter omnia temporalia cibis maxime necessarius est corpori. Sed cibus dimittendus est propter scandalum: dicitur enim I. Corinth. xlii. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Ergo multo fortius alia temporalia sunt propter scandalum dimittenda.

4. Præterea. I. Corinth. vi. 7. dicit Apostolus: *In IV. Sent. Tom. V.*

(1) Nicolai: per calcatum perge patrem.

Jam delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Hoc autem non dicit nisi propter scandalum quod inde sequebatur. Ergo propter scandalum homo debet dimittere temporalia, ne ea in iudicio repetat.

5. Præterea. Decimæ computantur inter spiritualia temporalibus annexa. Sed Ecclesia non exigit decimas, ut scandalum vitet. Ergo multo fortius alia temporalia sunt propter scandalum dimittenda.

6. Præterea. In ordine charitatis debemus bonum spirituale proximi bono nostro temporali præponere, sicut etiam animam ejus corpori nostro. Ergo potius debemus dimittere bona nostra temporalia quam proximi in spiritualibus detrimenta patiantur per scandalum.

7. Præterea. Homo potest dimittere temporalia, vel non dimittere salva triplici veritate. Ergo secundum Hieronymum loc. cit. debent propter scandalum temporalia dimitti.

Sed contra. Beatus Thomas Cantuariensis reperit res Ecclesiæ cum scandalo Regis. Ergo & nobis licet repetere bona temporalia cum scandalo aliorum.

Præterea. Nullus ex peccato suo debet reportare commodum. Hoc autem esset, si ei qui scandalizatur, res alienæ quas detinet, dimitterentur. Ergo non sunt dimittendæ res temporales possidentium injuste propter scandalum ejus vitandum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod scandalum activum numquam est sine peccato facientis, ut ex dictis patet. Nulla autem de causa debet aliquis inclinari ad peccandum: unde potius debet omnia prætermittere quam scandalum activum faciat, neque umquam propter scandalum activum vitandum potest dimitti veritas: quia quicumque veritatem sequitur, non scandalizat active, cum scandalum activum sit factum, vel dictum minus rectum: unde cum queritur, utrum veritas sit dimittenda propter scandalum, non intelligitur quæstio de scandalo activo, sed de passivo, quod interdum est sine peccato facientis illud, unde scandali occasio sumitur; quamvis nunquam sit sine peccato ejus qui scandalizatur, ut ex dictis patet. Et ideo cum queritur, quid sit dimittendum propter scandalum passivum, nihil aliud est querere quam quid homo debeat dimittere ne alius peccet. Cum autem homo ex ordine charitatis se plus quam proximum in spiritualibus bonis diligere teneatur, nullo modo aliquis peccare debet, ut peccatum alterius vitet. Quicumque autem veritatem relinquit, peccat. Veritas autem de qua loquimur, consistit in hoc quod homo in dictis, & factis suis rectitudini divinæ, sive divinæ legis regulæ se conformet: cui quidem homo conformari debet & in his quæ ad cognitionem pertinent, & hoc pertinet ad veritatem doctrinæ; & in his quæ ad actionem spectant, sive ea debeat aliquis per se ipsum agere, quod pertinet ad veritatem vitæ, sive ea debeat ab aliis observanda promulgare, quod pertinet ad veritatem justitiæ, quæ consistit in rectitudine iudicii. Non tamen quicumque prætermittit aliquid in quo se divinæ legi conformare potest, dicitur veritatem dimittere, quia illo remoto veritas adhuc remanere potest; sed tunc dicitur aliquis veritatem dimittere, quando dimittit, vel facit aliquid quod omisso, &

ambrosius zuzlochy (2) ambrosius LA (2)